

## P H R E N I T I S.

771. Si ferox & perpetuum delirium a Cerebro primario affecto cum febre acuta continua oritur, vocatur Phrenitis Vera.

Si a malo aliunde in Cerebrum delato in febre, inflammatione, &c. Phrenitis Symptomatica, παραφροσύνη, delipientia, dicitur.

772. Antecedunt Veram, calor, dolorque internus capitis ingens, & inflammatorius; sanguinis copia nimia; dispositio inflammatoria; rubor oculorum faciei; somni turbulenti; delipientia levis; adolescentia; calidorum usus; insolatio; vigiliae; ira; moeror; protervia seu ferocitas; oblivio subitanea; siccitas totius, maxime cerebri; collectio floccorum.

Alteram vero omnis fere morbus acutus cum febris; dolor lateris non pleuriticus cum levi perturbatione animi: Inflammatio pleurae, pulmonis, diaphragmatis, quae pessima; hanc praesagit lingua nigra, alvus suppressa, urina retenta, foeces albae (hae lethales ubique), urina pallida, decolor, tenuis, ἀδιψία, ferocitas, rubor, urina cum suspensio nigro, vigiliae, signa instantis inflammationis in capite.

773. Utraque (772.) ubi praesens est, haec habet symptomata. 1. Idearum sensilium depravationem, ut & sensuum internorum, & rationis, & affectuum. 2. ferocitatem auctam & efferam, inquietem, vel saepe somnos turbulentos. 3. pulsum durum, respirationem raram, & magnam. 4. faciem plerumque rubram valde, vultuosam, ad spectu horrendam, oculos protuberantes, trucesque, stillicidium narium.

774. Prognosis hisce fere describitur Phrenitis vera 3<sup>o</sup>, 4<sup>o</sup>, 7<sup>o</sup>que die necat, raro hunc transgreditur.

Tumque, si saeva fuerit, saepe in Maniam abit.

Paulisper ascendens immanis fit.

Saepe definit in Lethargum, Coma, Catochen.

Vomitus aeruginosus ratione inflammati cerebri; sputatio frequens & indecora in adstantes; tremor; foex alvi & urina interceptae, vel albae; urina cruda; convulsio; venatus floccorum volitantium; oculi pulverulenti; dentium stridor; *ad insipia* plerumque convulsionis praenuncia; permutatio symptomatum perpetua, ulceris tumentis subsidentia, frequentia sunt praefagia periculi summi, & mortis.

A peripneumonia lethalis. A variolis mala admodum; ab ileo lethalis.

In-

Inflammatiō paulisper fixa, & asperitas faucium ad superiora vergens, creat phreniticidē mortiferam, hi palpant, & laboriosi sunt.

Quae versatur circa necessaria, pessima.

775. Cadavera defunctorum a phrenitide exhibuere meninges inflammatas, gangraenam, abscessum, sphacelum cerebri, aut acres rodentes ichores.

776. Ex quibus cunctis elicitur causa proxima Phrenitidis Verae, inflammatiō vera piae matris, duraeque primario orta. Symptomaticae vero, inflammatiō similis orta a raptu materiae phlogisticae in cerebri meninges.

777. Quidquid has producere potest, fungi poterit causae propioris munere (772.)

778. Quin hinc vera diagnosi utriusque mali.

779. Curatio requirit attentionem ad sequentia.

Phreniticis varices, vel haemorrhoides fluentes profunt.

Alvi fluor bonus.

Dolor ad pectus, pedesque, vel & vehemens tussis superveniens saepe solvit malum.

Ut & haemorrhagia.

780. Phrenitis vera requirit citissime validis.

lidissima remedia, quibus tolli possit inflammatio ad cerebri arterias orta,

781. Quae petenda maxime ex curatione inflammationis in genere, observatis hisce. Venae sectio instituenda larga, per amplum vulnus, aut plures venas simul, in pede, jugulo, fronte. Diluentia ex decoctis antiphlogisticis, nitrosis, affatim exhibenda. Dein purgantia antiphlogistica, cum multo potu diluente nitroso danda. Clysmata similia, additis laxantibus. Anus fovendus, haemorrhoides fricandae foliis ficus &c. vel evacuandae hirudinibus. Collutoria, gargarismata lenia revocanda in crebrum usum. Nares, oculi, aures, fovenda. Caput radendum. His praemissis, neque cedente malo, opiatis utendum, pediluvia, epispastica levia, cucurbitae, ad inferiora applicanda. Corpus moderato frigore reficiendum, & erectum tenendum.

782. Si vero Phrenitis ab alio morbo inflammatorio jam facto oritur, ante omnia attendendum, an genius ejus mali patiatur adhiberi modo dicta (781.), si non, tum curanda ex methodo illi morbo debita semper additis derivantibus, & topicis remediis.

AN-